MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80404-6

AUTHOR:

HAENICHE, EWALD

TITLE:

QUAESTIONES APOLLODOREAE

PLACE:

HALIS

DATE:

1875

Master Negative #

91-80404-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ap2
Z8
v.1

Haeniche, Ewald, 1852-
Quaestiones Apollodoreae II. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet auctor Ewaldus Haeniche ... Halis, [1875].
30 p. 18½ cm.

Thesis. Halle.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35M
REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/27/91
INITIALS RD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





no. 1

QUAESTIONES APOLLODOREAE II.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARIA UNIVERSITATE

FRIDERICIANA CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. MENS. AUG. ANNI LXXV HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EWALDUS HAENICHE

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

EMILIUS DOBERENTZ, DR. PHIL.

JOHANNES BURKHARDT, CAND. PHIL.

HALIS.

1875

PRAEFATIO.

Apollodorus, grammaticus Atheniensis, Asclepiade patre natus est. Quo tempore vixerit, e duobus locis, qui sunt apud Scymnum Chium et Diodorum Siculum, concludi potest. Scymnus [1]) enim, qui fere aequalis erat Apollodori, nobis tradit, res a Graecis barbarisque gestas ab anno, quo Troia capta esset, Apollodorum *usque ad suam aetatem* conscripsisse, idque spatium esse mille quadraginta annorum. Quo anno Troia capta sit, secundum ipsius Apollodori rationem cognoscas e Diodori [2]) fragmento, qui commemorat, a capta Troia usque ad primam Olympiadem quadringentos octo annos computavisse Apollodorum. Troiam igitur captam esse efficitur anno millesimo centesimo octogesimo quarto, unde detractis illis mille quadraginta annis, quos Apollodori opus complectebatur, librum deduxisse eum apparet usque ad annum centesimum quadragesimum quartum. Floruisse igitur Apollodorum statuamus inter Olymp. 150 et 160. Cum adolevisset, philosophiae, magistris usus est Pa-

[1]) Scymnus v. 16 sqq.
[2]) Diodor. I. 5, Muelleri fragm. 73.

naetio Rhodio[1]) et Diogene[2]), Stoicae disciplinae id tempus principibus, grammaticae Aristarcho. Apollodorus ipse quanti aestimatus sit, et ex aliis et ex libello de Allegor. Hom. fragm. 7 perspicias, a cuius auctore *ὁ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινός* vocatur. Scripsit Apollodorus haec: *περὶ θεῶν*, *περὶ νεῶν*, *χρονικά*, *περὶ γῆς ἢ περιήγησις*, *περὶ ἐτυμολογιῶν περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων*, *περὶ Σώφρονος*, *περὶ Ἐπιχάρμου*. Praeterea Apollodori nomen praescriptum est libello qui inscribitur *Βιβλιοθήκη*. Hanc esse epitomen alii dixerunt, alii negaverunt. Quam quaestionem iam accuratius tractabimus.

---

1) Suidas: *Ἀπολλόδωρος Ἀσκληπιάδου κτἑ.*
2) Scymnus v. 16 sqq.

Caput I.

Bibliothecam epitomen esse demonstratur.

§. 1. Aegius Spoletinus, qui primus anno 1555 Apollodori bibliothecam edidit, titulum ei praeposuit hunc: Apollodori bibliotheca, *sive de deorum origine*[1]). Cum igitur Aegius hunc libellum eundem esse putaret atque librum *περὶ θεῶν* ab eodem Apollodoro scriptum, cuius fragmenta ad nos pervenerunt multa, quaestio exstitit, de qua sententiae hominum doctorum ad hunc diem mire discrepabant. Nam inter alios Tanaqu. Faber[2]), cum apud quosdam scriptores operis *περὶ θεῶν* non minus XXIV libros inveniret citatos, cum nostrae bibliothecae III modo sint libri, eique totam fere materiam complectentes, quae omnino tractari potest opusculo, cui *περὶ θεῶν* inscribitur: hanc epitomen esse iudicabat maioris illius *περὶ θεῶν* operis XXIV et fortasse plurium librorum. Quae sententia firmari vide-

---

1) Idem in epistula ad Fulvium Ursinum: quod autem „sive de deorum origine libri III“ adiecimus, hic, qui huiusce auctoris primi certe libri unam aut alteram pagellam vel lippientibus ocellis legerit, in sententiam nostram et manibus et pedibus eum iturum certo scio.
2) Apoll. biblioth. ed. Tanaqu. Faber, 1661.

batur, cum, quae apud alios scriptores ex libris περὶ θεῶν afferebantur, in bibliotheca non invenirentur. Idem sentiebant *J. G. Vossius*, *Barthius* [1]), *Reinesius* [2]), *Burmannus* [3]).

Primus hanc sententiam impugnabat *Th. Galeus* [4]), qui ei quasi fundamentum subtraxit, cum bibliothecam atque illud περὶ θεῶν opus idem esse negaret. Galei sententiam amplexus est Heynius [5]).

Aliam viam deinde ingressus est *Clavierus* [6]), qui reiecta Aegii sententia, propterea quod in bibliotheca vitia maiora inessent, quam quae librariorum errore in textum irrepsissent, quam rem priores editores leviter perstrinxerant, et quod genus dicendi ubicunque „disiecti membra poëtae" ostenderet, arbitrabatur, quae ad nos pervenit bibliotheca, eam epitomen esse Apollodori operum complurium, quibus res mythologicas tractavisset. Hanc Clavieri sententiam homines docti probaverunt fere omnes. *Welckerus* [7]) deinde Apollodorum scripsisse epicum cyclum statuit, quo omnes fabulas ab antiquissimis temporibus certo ordine et perpetuo tenore deduxisset, *C. Muellerus* [8]) hunc Apollodori cyclum epicum versibus iambicis conscriptum et cum chronicis eiusdem Apollodori auctoris coniunctum postea bibliothecae nomine esse appellatum censet.

---

[1]) ad Papinii Statii Theb. I, 121. — Advers. III. c. 1.
[2]) epp. ad Daunium 85, p. 216.
[3]) in edit. Valerii Flacci Argonaut., in Catal. Argon. sub nomine *Calais.*
[4]) historiae poëticae script Par. 1675 p. XXXV et in notis p. 64.
[5]) Apoll. Ath. biblioth. libri III. Gott. 1803 p. XLIV.
[6]) Apollodori bibliotheca, Paris 1805.
[7]) Epischer Cyclus p. 83.
[8]) Fragm. Hist. Gr. I p. XLI.

§. 2. Nuperrime exstiterunt duo viri, *Hermannus Funkius* [1]) et *Carolus Robertus* [2]), quorum ille Welckeri sententiam defendit et argumentis eius alia multa addidit, hic vestigia secutus *Isaaci Vossii* [3]) bibliothecam ut Apollodoro, clarissimo illo grammatico Atheniensi, prorsus indignam aut titulum mentiri aut alterius esse Apollodori arbitrati, hunc libellum nec epitomen et ab alio quodam Apollodoro multo inferiore aetate scriptum esse censet. Nam epitomen esse bibliothecam nec certis argumentis esse probatum et a Galeo egregie esse refutatum. Hunc enim recte ostendisse, non esse epitomatoris, monere legentes aut promittere, postea aliquid accuratius expositum iri; cuius rei in bibliotheca passim exstare exempla [4]). Ab Apollodoro autem, grammatico Atheniensi, alienam esse bibliothecam probare studet, cum ostendat, verisimile esse, Aristarchi Panaetiique discipulum Apollodorum elegantiore genere dicendi esse usum aliterque rem suam tractavisse. His argumentis adductus librum, qui ad nos pervenit, posteriori tribuit Apollodoro, quem priore fere secundi post Christum saeculi parte vixisse censet.

Itaque, quoniam magnae adhuc supersunt dissensiones, et ne dissertationes quidem nuper editae, quamquam sagacissime et elegantissime scriptae, omnem eximunt dubitationem, eandem quaestionem pro viribus denuo placuit instituere, etsi me susceptum laborem profligaturum esse vix spero. Iam vero, postquam doctorum hominum sententias in diversas partes disce-

---

[1]) De Apollodoro Atheniensi, Berol. 1869.
[2]) De Apollodori bibliotheca, Berol. 1873.
[3]) ad Pomponium Melam, p. 36.
[4]) 5, 15. 6, 30. 36, 3; secundum paginos et versus editionis Bekkerianae, Lips. 1854.

dentes quam brevissime adumbravi, ad ipsam rem diiudicandam munita est via.

§. 3. Ac primum quidem si circumspicimus, numquid ex antiquioribus testimoniis eruere possimus, locus ex Photii bibliotheca occurrit, de quo persaepe in contrarias partes disputatum est. Exstat enim apud Photium cod. 186 extr. ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τεύχει (scil. quod etiam Cononis, qui fuit Caesaris aetate, διηγήσεις complectebatur) καὶ Ἀπολλοδώρου γραμματικοῦ βιβλιοδάριον ἀνεγνώσθη μοι· βιβλιοθήκη αὐτῷ ἡ ἐπιγραφή· περιεῖχε δὲ τὰ παλαιότατα τῶν Ἑλλήνων, ὅσα τε περὶ θεῶν τε καὶ ἡρώων ὁ χρόνος αὐτοῖς δοξάζειν ἔδωκεν, ὀνομασίας τε ποταμῶν καὶ χώρων καὶ ἐθνῶν καὶ πόλεων· ὅθεν καὶ τὰ πολλά, ὅσα εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀνατρέχει καὶ κάτεισι μέχρι τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἀνδρῶν τινων πρὸς ἀλλήλους μάχας καὶ ἔργα ἐπιτρέχον, καὶ τῶν ἀπὸ Τροίας πλάνας τινάς, μάλιστα δ' Ὀδυσσέως, εἰς ὃν αὐτῷ καὶ ἡ ἀρχαιολογία καταλήγει· σύνοψις δ' ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου οὐκ ἄχρηστος τοῖς τὰ παλαιὰ ἐπὶ μνήμης ἔχειν λόγων μεταποιουμένοις.

Quam obscuram Photii calamistri orationem reddiderint, apparet primum ex verbis ὅσα τε περὶ θεῶν τε καὶ ἡρώων ὁ χρόνος αὐτοῖς δοξάζειν ἔδωκεν, quae, si poëtici sermonis ornamento exuimus, nihil aliud significant, nisi hoc: „quae de deis heroibusque pro aetatis suae ratione opinari potuerint“ [1]) vel: quae antiquissimis illis temporibus homines de deis heroibusque opinati sint.

Non minus obscure illud (περιεῖχε) ὀνομασίας τε ποταμῶν καὶ χώρων καὶ ἐθνῶν καὶ πόλεων dictum est, quo factum est, ut editores Apollodori fere omnes,

[1]) **Robertus, de Apoll. bibl. p. 5.**

cum, quid sibi vellent haec verba, non recte intellegerent, illas appellationes fluminum etc. in finem libelli, qui fati invidia est deperditus, confertas fuisse putarent. Ut Clavierus [2]) „car Photius“, inquit, „dit, qu'outre l'Histoire des Dieux et des Héros cette bibliothèque contenoit les noms des fleuves, des pays, des peuples et des villes, ce qui se trouvoit sans doute dans l'histoire du siège de Troyes, dans celle du retour des Grecs et des divers établissemens, qu'ils formèrent à cette époque.“ Huc etiam Heynius refugit, qui p. XLIII de illis „appellationibus fluminum, regionum, gentium et urbium“ agit. Nam cum pauca id genus occurrere videat, nec tamen librum, quem nunc habemus, pleniorem lectum esse a Photio concedere velit, plura ait fortasse eum legisse in eis, quae in calce libelli perissent. Funkius [2]) in Heynium invehitur, quod Photii patronus exstiterit. Prorsus enim apparere ex Photii verbis, quam perverse ille Apollodori opus adumbraverit; et „e totius“ inquit „operis dispositione potest intellegi, Apollodorum sibi non proposuisse tales res enumerandas explicandasque, ut a Photio fuisse hoc Apollodori consilium dici oporteret, sed inseruisse, cum incidisset, ut aliqua fabula exposita apte posset fieri.“

Certe inscite Photius libelli argumentum exposuisset, si id accurate describere voluisset. Sed Photium accurate Apollodori bibliothecam omnino non novisse, iam ex initio loci, quem supra apposui, luculenter apparet. Nec veri est dissimile, percurrisse modo Photium paginas libri, itaque animadvertisse, quod primo adspectu facile potest animadverti, bibliothecam compen-

[1]) **Apoll. bibl. p. 5.**
[2]) **de Apoll. Ath. p. 23.**

pendium esse ad eorum usum accomodatum, qui ad antiquorum temporum studium incumbere vellent; multarum enim urbium commemorari conditores, explicari nomina. Hae igitur sunt illae *ἀνομασίαι πόλεων*. Ceterum pro spatio libri satis multas appellationes fluminum etc. inesse, ex Roberti dissertatione p. 6 cognoscere licet, quem numerum facile potes augere.

Sed haec quidem hactenus. Iam videamus, quid ex his Photii verbis colligi possit. Ac primum quidem, Photium re vera hanc, quae ad nos pervenit, bibliothecam, non aliud quoddam opus maioris voluminis ante oculos habuisse, illud *βιβλιοδάριον* et *σύνοψις δ'ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου* certissime indicat. Eundem de clarissimo illo Apollodoro, grammatico Atheniensi, cogitasse inde efficitur, quod, si alium dixisset, quis vel unde esset, accuratius eum definire oportebat.

§. 4. Proximum est, ut argumenta eorum, qui bibliothecam nostram epitomen esse demonstrare studebant, accuratius perpendamus. Quorum virorum ne unum quidem ad finem perduxisse quaestionem ostendere in animo est.

Ac primum quidem, quae superiores editores Apollodori Aegii opinione nixi supra exposita protulerant, a Galeo egregie refutata sunt. Nam is primus duo Apollodori opera, bibliothecam et libros *περὶ θεῶν*, distinguenda esse ostendit [1]). „Nullos", inquit, „codices manu exaratos, quos Aegius Romae vidit, aut quos servant bibliothecae Veneta, Florentina, Palatina, Altempsiana, Montschaliana, Gallicana Regia aut Oxonienses, alium dare huic libello titulum affirmo, quam hunc: *Ἀπολλοδώρου Ἀθηναίου γραμματικοῦ*

[1]) **Apoll. biblioth. p. 37 ff.**

Βιβλιοθήκη. Affero, neminem ex antiquis poëtarum scholiastis (qui frequenter tamen depromptis ex hoc opusculo testimoniis utuntur) alio nomine, quam bibliotheces, hunc librum appellare." Deinde alia complura affert, quibus probat, Aegii sententiam nullo veterum testimonio niti.

Quae deinde Tanaqu. Faber in adnotationibus exponit, velut epitomatoris modo festinatione fieri potuisse, ut 42, 8 [cf. adn. §. 2] *τήν* post vocem *κεφαλήν* in *τρίτην δὲ κεφαλὴν μέσην αἰγός* intercideret, alia eiusmodi, adeo nihil valent, ut haec argumenta refellere non opus sit.

Transeamus igitur ad Clavierum, quem primum Aegii reiecta opinione bibliothecam esse epitomen alia ratione probare studuisse dixi. Sed ne huius quidem argumentis rem demonstrari ostendam. Sunt enim complures loci, quos corruptelis obscuros esse redditos apertum est. Clavierus autem hanc obscuritatem perperam iudicat epitomatoris manu exstitisse. Cuius rei afferam exempla haec. 40, 7 *Ἀμυμώνη δὲ ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Ναύπλιον· οὗτος μακρόβιος γενόμενος πλέων τὴν θάλασσαν, τοῖς ἐμπίπτουσιν ἐπὶ θανάτῳ ἐδυςφόρει· συνέβη οὖν, καὶ αὐτὸν τελευτῆσαι ἐκείνω τῷ θανάτῳ, ᾧπερ ἄλλων τελευτησάντων ἐδυσφόρει*. Haec verba epitomatoris festinatione obscurata esse videntur Claviero. Nam nec causam proferri dicit, cur Nauplius mortem miserorum illorum aegre ferat, nec additum esse, quaenam sit illa mors, qua et illi et Nauplius ipse perierint. Sed haec verba aperte corrupta in integrum restituta sunt eleganti emendatione Kuhnii, qui scribit [1]) pro *ἐδυσφόρει ἐπυρσοφόρει*.

[1]) **ad Pausan. II. p. 168. Cf. Eur. Hel. 767** *τὰ Ναυπλίου τ' Εὐβοϊκὰ πυρπολήματα.*

Deinde[1]), si verba *ᾧπερ ἄλλων τελευτησάντων ἐδυσφόρει* reicis, quae glossema esse ad corruptum *τοῖς ἐμπ . . . ἐδυσφόρει* adscriptum apparet, verbis nihil inest offensionis. Non magis alter locus, qui ipse quoque corruptus est, mihi persuadet, ut ad Clavieri sententiam accedam. 59, 23, ubi de Herculis itineribus agitur, *διελθὼν δὲ* [Hercules] *Ἀβδηρίαν εἰς Λιβύην ἦλθεν, ἐν ᾗ τὰς βόας ἀφῃροῦντο Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος οἱ Ποσειδῶνος υἱοί, οὓς κτείνας διὰ Τυρρηνίας ᾔει.* Clavierus hic nonnullorum locorum nomina intercidisse putat, aliter enim intervalla, quae intersint inter singula, per quae venit Hercules, loca, explicari non posse. Idque epitomatoris culpa factum esse censet. Sed illa intervalla corruptione textus, non epitomatoris manu exstitisse, certissima potest demonstrari. Primum enim Herculi certamina propter boves abactos cum Liguribus fuisse, aliunde notum est[2]). Itaque sine dubio *Λιγύην* pro *Λιβύην* restituendum est [3]). Deinde secundum Tzetz. Chil. II 340, qui hunc locum bibliothecae exscripsit, *δι' Ἰβηρίαν δὲ τὰς βοῦς ἐλαύνων πρὸς Λιβύην*, pro *Ἀβδηρίαν*[4]) scribendum est *Ἰβηρίαν*. Itaque nil in descriptione locorum desiderabis. Hercules enim e regione Tartessi per Hispaniam in Liguriam progressus, inde per agros Etruscos proficiscitur. Eodem modo omnes loci, quos affert Clavierus, non epitomatoris culpa, sed textus corruptione obscuri sunt redditi.

---

[1]) cf. Apoll. bibl. ex rec. Hercheri, (Ber. 1874) 43, 15, adn.

[2]) Locus de hac re ex Aeschyli Prometheo soluto descriptus est a Strabone IV c. 183 et Dion. Hal. I, 41.

[3]) *Λιγυστίνην* Vossius, codices *λιβύην*. *Λιγύη* a *Λίγυς*, ut *Λιβύη* a *Λίβυς*; cf. Heyn. excurs. I ad Virg. Aen. VII.

[4]) codices *αὐδηρίαν*.

Deinde alii sunt loci, ubi, quanquam quaedam omissa sunt, tamen non est, cur illud epitomatoris culpae tribuatur. 60, 24 *Κύκνος δὲ Ἄρεος καὶ Πυρήνης εἰς μονομαχίαν αὐτὸν* [Herculem] *προὐκαλεῖτο. Ἄρεος δὲ τοῦτον ἐκδικοῦντος καὶ συνιστάντος μονομοχίαν βληθεὶς κεραυνὸς μέσος ἀμφοτέρων διαλύει τὴν μάχην.* Hic Clavierus pugnam inter Herculem et Cycnum commissam et huius caedem ab Apollodoro certe enarrata, ab epitomatore omissa esse censet; quanquam id unum recte statuitur, in nostro textu post vocem *προὐκαλεῖτο* omissum esse *προκαλεσάμενος δὲ ἀπέθανεν*, vel tale aliquid, idque librariorum culpa. Plura eiusmodi exempla Clavierus affert in adnotationibus, quae recensere longum est.

Permultis deinde bibliothecae locis „disiecti membra poëtae“ cognoscas, velut 7, 5 et 10, 15 *βάσεις*, pedes; 28, 29 *ὄψεις*, oculi, 34, 32 et 32, 10 *λάβρον*; 32, 19 *τὴν ἐναντίαν μοῦσαν μελῳδῶν*; 20, 20 *βυθόν*; 60, 5 *μυχοὺς τοῦ πόντου*, alia. Clavierus haec poëtici sermonis vestigia ita in textum putat illata esse, ut Apollodorus in genuino opere eodem fere modo, quo Athenaeus et Stephanus Byzantinus, ipsos poëtarum locos adscripsisset, epitomator deinde in orationem salutam vertisset, idque non satis docte, ita ut multae dictiones poëticae in epitomen inferrentur, sicut in fabulis Melampi, Admeti, Minois. Haec res ab aliis aliter explicata est. Id unum autem certum esse mihi videtur, hac re bibliothecam ab epitomatore conscriptam esse demonstrari non posse. Multo verisimilius est, hoc mixtum genus dicendi eo esse effectum, quod Apollodorus ipse poëtarum dictiones ex scriptis eorum sumebat.

§. 5. Iam ad aliam argumentationem venimus,

qua Apollodorum res quasdam copiosius, quam nunc legimus, narrasse demonstrare volunt. Hanc rationem duobus exemplis ex Funkii dissertatione desumptis illustrabo [1]). „Primum“ inquit p. 39, „Thessalus dicitur natus esse e Chalciope, Eurypyli filia. Eadem exstant apud Scholiasten Pindari Nem. IV, V 40; ubi legimus *ὅτι δὲ Ἡρακλῆς ἐπόρθησε τὴν Κῶ ἀπὸ τῆς Ἀσίας κατιών, καὶ Ὅμηρος μαρτυρεῖ* [Il. ξ 255]· *ἔλαβε δὲ καὶ Χαλκιόπην ἐξαίρετον τὴν Εὐρυπύλου τοῦ βασιλέως θυγατέρα, ἀφ' ἧς ἔσχεν υἱὸν Θέσσαλον, οὗ παῖδες Φείδιππος καὶ Ἄντιφος ἐν Ἰλίῳ στρατεύσαντες.* Et apud Pherecyd. fragm. 35 (Fragm. Hist. Graec. Vol. I) *κατασυρεὶς δὲ* (Hercules) *εἰς Κῶ τὴν Μεροπίδα, ἐκωλύθη ἐπιβῆναι τῆς νήσου ὑπὸ Εὐρυπύλου τοῦ Ποσειδῶνος, βασιλεύοντος αὐτῆς. Βιασάμενος δὲ καὶ ὡς λῃστὴς ἐπιβὰς ἀνεῖλε τὸν Εὐρύπυλον καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ. Μιγεὶς δὲ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ Χαλκιόπῃ Θεσσαλὸν ἐγέννησεν. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει.* Apollodorus, quamquam Herculem Troia capta Coum insulam delatum devastavisse Eurypylumque regem necavisse nobis tradit, Chalciopen filiam ab eo compressam esse nihil commemorat. Legimus enim 65, 29 haec: *προςέπλει*

[1]) Quae primo loco affert Funkius de transitionibus p. 32 ff. minus mihi placuerunt. Nam cum eas in tria genera distribuerit, unum quo auctor nos admoneret, alio loco aliquam rem explicari commodius, alterum, quo ad novam stirpem novamque fabularum seriem uteretur transitionem facturus, tertium, quo satis de re aliqua videri sibi dictum esse significaret, quamquam, quid illa distinctio ad quaestionem solvendam conferat, non liquet: singula genera harum transitionum deinceps persecutus, quod modo adhibita, modo neglecta sint, inde colligit, quae bibliotheca ad nos pervenit, eam ab Apollodoro non esse conscriptam. Hoc argumentum adeo nihili est momenti, ut pluribus id refellere non opus sit.

δὲ Ἡρακλῆς τῇ Κῷ καὶ νομίσαντες αὐτὸν οἱ Κῶοι λῃστρικὸν ἄγειν στόλον, βάλλοντες λίθοις προςπλεῖν ἐκώλυον. ὁ δὲ βιασάμενος τὴν νῆσον εἷλε καὶ τὸν βασιλέα Εὐρύπυλον, Ἀστυπαλαίας παῖδα καὶ Ποσειδῶνος, ἔκτεινεν. Quos tres locos, si inter se contuleris, intelleges valde inter se consentire, ita ut non possis dubitare, quin et Scholiastes et Apollodorus secuti sint Pherecydem. Quae cum ita sint, valde mirum est, quid sit, quod Apollodorus Thessalum Chalciope et Hercule natum esse non tradat. At ego existimo, eam non esse Apollodori culpam, sed eius, qui Apollodori opus in has epitomarum angustias compulerit.“

Sic seriem Herculis filiorum persequens, nonnulla ab Apollodoro uberius fuisse tractata probat, quo facto p. 47 sqq. epitomen esse bibliothecam ex fragmentis quibusdam arguit, quae cum magna ex parte in hoc, quale nunc est, opusculo deessent, ante Funkium Heynius in editione sua ex alio aliquo Apollodori opere desumpta esse statuit. Funkius plurima eorum putat ab Apollodoro explicata esse in libro illo, quo omnes antiquissimorum temporum fabulas contulisset, omissa autem esse ab eo, qui in illius opere excerpendo versatus esset. Sed ut, qua via Funkius progressus sit, plane perspiciatur, plura exempla appono.

[1]) In Schol. ad Odyss. XXIII, 198 Apollodoro auctore exponitur, quibus laudibus maxime Mercurius efferri soleat, et cur ei, qui dormituri sint, eum adorent. Haec ex Hymno ad Mercurium, qui vocatur, petita esse docet Funkius, idque e. v. 14

καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα πολύτροπον αἱμυλομήτην
λῃϊστῆρ' ἐλατῆρα βοῶν ἡγήτορ' ὀνείρων

[1]) cf. Funk, de Apoll. Ath. p. 53.

. . . .

ἀμφανέειν κλυτὰ ἔργα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Ad eundem fontem refert, quae in nostra bibliotheca de Mercurio, et lyrae et fistulae inventore, de praecone Iovis et deorum inferorum 97, 29—99, 29 tradita sunt. Quare, cum illic in Scholiis eadem materia ex eodem fonte desumpta copiosius tractata sit ab Apollodoro, Funkius suo iure e bibliothecae descriptione, et illa quidem uberiore, illud scholion fluxisse concludit.

[1]) Schol. ad Odyss. III, 91 *Ἐν Νάξῳ τὴν Ἀμφιτρίτην χορεύουσαν ἰδὼν Ποσειδὼν ἥρπασεν, ὅθεν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Ποσειδωνία ὠνομάσθη ἡ θεός, ὡς καὶ ἡ Ἥρα Διαίνη παρὰ Δωδονείοις, ὡς Ἀπολλόδωρος.* In hoc, quale nunc est, opusculo legimus 9, 3 *Ποσειδὼν δὲ Ἀμφιτρίτην τὴν Ὠκεανοῦ γαμεῖ· καὶ αὐτῷ γίγνεται Τρίτων καὶ Ῥόδη, ἣν Ἥλιος ἔγημε.* „Quem locum", pergit Funkius, „si cum illis, quae a Scholiaste allata sunt, contulerimus, Scholiastae verba locum apud Apollodorum habuisse, ubi in hoc opusculo Amphitrite memoraretur, intelligemus. Quae cum ita sint, cum in hoc opusculo pauciora tradantur, quam in illo scholio, non potest fieri, ut hoc opusculum sit illud, quod ab Apollodoro est compositum."

§. 6. His exemplis Funkius mihi satis probasse videtur, fuisse quondam bibliothecam aliquam copiosiorem, quam eam, quam nos habemus. Robertus autem censet, ex eo, quod complures loci Apollodori bibliothecae ab aliis scriptoribus citentur, qui in nostra bibliotheca non inveniantur, non necesse esse concludere, nostram bibliothecam Apollodori operum esse epitomen, sed id modo effici, hanc bibliothecam, quae

[1]) cf. Funk. l. l. p. 55.

ad nos pervenit, non clarissimi illius grammatici Atheniensis esse. Nec negari potest, eodem iure Robertum et Funkium sententias suas defendere posse, nisi alia argumentatio, ad hanc quaestionem diiudicandam nondum satis adhibita, accederet, quae omnem eximit dubitationem, dico genus dicendi. Hoc enim certissima ostendit epitomatoris vestigia. Qui fit enim, ut oratio, quamquam propter simplicitatem maxime est perspicua, nulla tamen distinguatur periodo artificiosiore? Immo in construendis periodis plerumque neglegentissimum se praebet auctor libelli. Persaepe enim res, quae propter gravitatem enuntiatio primaria esse debuerunt, aliis rebus levioris momenti constructione subiungebat. Id quod exempla, quae mox afferam, plane ostendent [1]). Neque hoc scriptoris inscientiae tribui potest. Sed ipsa ratio, qua epitomatorem in excerpendo progressum esse verisimile est, hanc rem explicabit. Nam epitomator non exscripsit totos genuini operis locos, sed earum rerum, quas legit, summam brevi enuntiato descripsit. Deinde perfectae periodo alia leviter adiunxit, ut quodque ex copiosiore materia eruebat. Itaque ex ipsis periodorum coniunctionibus optime epitomatoris manum cognoscas. Quas accurate perscrutari nobis propositum est.

Saepissime usitatum invenimus pronomen *οὗτος*, ita ut usus eius nimis frequens legenti sit molestus, neque aliter possit explicari, nisi ex eo, quod hac voce novi aliquid subiecto periodi ad finem iam perductae facile adiungatur. Confer 118, 19 *κατεσκευάκει δὲ αὐτὸν [τὸν Λαβυρίνθον] Δαίδαλος ὁ Εὐπαλάμου παῖς*

[1]) cf. **F. A. Wolf, Vorlesungen über die griech. Litt. II. p. 338 „Apollodor schreibt einen gemeinen Stil, nicht Attisch, nicht rein griechisch."** Robertus, l. l. p. 26.

τοῦ Μητίονος καὶ Ἀλκίππης οὗτος ἦν ἀρχιτέκτων ἄριστος καὶ πρῶτος ἀγαλμάτων εὑρετής[1])· οὗτος ἐξ Ἀθηνῶν ἔφυγε κτέ. 99, 5 Λευκίππου δὲ θυγατέρες ἐγένοντο Ἱλάειρα καὶ Φοίβη· ταύτας ἁρπάσαντες ἔγημαν Διόσκουροι· πρὸς δὲ ταύταις Ἀρσινόην ἐγέννησε· ταύτῃ μίγνυται Ἀπόλλων· ἡ δὲ Ἀσκλήπιον γεννᾷ.

Saepe fit, ut brevis enuntiatio ad explicanda ea, quae praecedunt, hac voce adiungatur, ubi rectius participium ponitur, velut 30, 21 παραπλεύσαντες δὲ Θερμώδοντα καὶ Καύκασον ἐπὶ Φᾶσιν ποταμὸν ἦλθον· οὗτος τῆς Κολχικῆς ἐστι γῆς. 21, 30 Μάγνης δὲ Αἰόλου γαμεῖ νύμφην νηίδα καὶ γίγνονται αὐτῷ παῖδες Πολυδέκτης καὶ Δίκτυς· οὗτοι Σέριφον ᾤκισαν.

Miram hanc inscientiam construendarum periodorum per totum librum perusitatam sic optime explicaveris, ut epitomatoris mentem materiae copia a scribendi diligentia aberravisse dicas. Eodem modo ὁ δὲ usurpatur. 114, 9 αὖθις δέ γήμας Φιλομήλαν συνηυνάζετο καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξέτεμεν αὐτῆς. ἡ δὲ ὑφήνασα ἐν πέπλῳ γράμματα διὰ τούτων ἐμήνυσε Πρόκνῃ τὰς ἰδίας συμφοράς· ἡ δὲ ἀναζητήσασα . . . 29, 21 ταύτην δὲ οἱ μὲν Νικοθόην οἱ δὲ Ἀελλόπουν καλοῦσι, ἡ δὲ ἑτέρα καλουμένη Ὠκυπέτη, ὡς δὲ ἔνιοι, Ὠκυθόη (Ἡσίοδος δὲ λέγει αὐτὴν Ὠκυπόδην) — αὕτη κατὰ τὴν Προποντίδα φεύγουσα . . . Hoc loco vocem αὕτη quae propter enuntiati brevitatem non erat necessaria, vix aliter possis explicare, nisi ita, ut epitomatorem, cum copiosam materiam percurrisset, periodi constructionem oblitum esse novamque periodum instituisse

[1]) Non recte Hercherus in editione sua verba οὗτος ἦν ἀρχιτέκτων ἀρ . . . εὑρετής omittit (135, 15).

dicas. Similiter 112, 16 Κέκροπος δὲ ἀποθανόντος Κράναος αὐτόχθων, ἐφ' οὗ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος λέγεται κατακλυσμὸν γενέσθαι — οὗτος γήμας..

Non minus nimia relativorum copia epitomatoris indicat manum, quae eodem modo atque pronomina οὗτος et ὅδε nova adiungunt ad substantivum, quod proxime praecedit. 29, 22 διελθὼν δὲ Ἰβηρίαν εἰς Λιγύην ἦλθεν, ἐν ᾗ τὰς βόας ἀφῃροῦντο Ἀλεβίων τε καί Δέρκυνος, οἱ Ποσειδῶνος υἱοί, οὓς κτείνας διὰ Τυρρηνίας ᾔει. 104, 29 καὶ γαμεῖ πρώτην Ἀρίσβην τὴν Μέροπος, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς Αἴσακος γίγνεται, ὃς ἔγημεν Ἀστερόπην τὴν Κεβρῆνος θυγατέρα, ἣν πενθῶν ἀποθανοῦσαν ἀπωρνεώθη. 21, 10 ἐξ αὐτῶν παῖς γίγνεται Γλαῦκος, ᾧ παῖς Βελλεροφόντης ἐξ Εὐρυμέδης ἐγεννήθη, ὃς ἔκτεινε τὴν πυρίπνουν Χίμαιραν. 7, 29 Κτείνει . . . Τιτυόν, ὃς ἦν Διὸς υἱὸς καὶ τῆς Ὀρχομενοῦ θυγατρὸς Ἐλάρης, ἣν Ζεὺς . . . ὑπὸ γῆν ἔκρυψεν.

Haec verba fieri non potest, ut uno tenore descripta sint; sed paullatim alterum membrum ad alterum adiunctum esse, ut quodque ex copiosiore materia eruebatur, ex ipsa constructione luculenter apparet. Et ne mediocrem quidem scriptorem tam moleste scripsisse putandum est.

Liberiorem usum, quam pronomina, praebet particula καί. Illa enim ad substantivum, quod proxime praecedit, adiungenda sunt, particula καί non item. Itaque usus huius vocis in periodis coniungendis per totum librum invenitur frequentissimus. 90, 6 Καδμεῖοι . . . συνεδιώχθησαν καὶ Καπανεὺς ἁρπάσας κλίμακα ἐπὶ τὰ τείχη δι' αὐτῆς ἀνῄει, καὶ Ζεὺς αὐτὸν κεραυνοῖ. 51, 24 πορευόμενος οὖν ἐπὶ τὸν λέοντα ἦλθεν εἰς Κλεωνὰς καὶ ξενίζεται παρ' ἀνδρὶ χερνήτῃ Μολόρχῳ· καὶ θύειν ἱερεῖον θέλοντι εἰς ἡμέραν ἔφη τριακοστήν, καὶ

ἄν μὲν ἀπὸ τῆς θήρας σῶος ἐπανέλθῃ Διὶ σωτῆρι θύειν... 113, 14 *ἐκβαλὼν* [Erichthonius] *Ἀμφικτύονα ἐβασίλευεν Ἀθηνῶν καὶ τὸ ἐν ἀκροπόλει ξόανον τῆς Ἀθηνᾶς ἱδρύσατο καὶ τῶν παναθηναίων τὴν ἑορτὴν συνεστήσατο καὶ Πραξιθέαν νηΐδα νύμφην ἔγημεν, ἐξ ἧς παῖς Πανδίων ἐγεννήθη.*

Interdum bibliothecae auctori accidit, ut periodo iam ad finem perductae, cum quid invenerat commemoratione dignum, adderet voce *καί* coniunctum, quo factum est, ut persaepe inveniantur enuntiationes male positae vel molesta additamenta, ut 83, 31 *Ἀντιόπην ᾐκίζετο Λύκος καθείρξας — καὶ ἡ τούτου γυνὴ Δίρκη* 102, 21 *καὶ τὸν Ἴδαν ὑπὸ δρυῒ ἐλόχων — καὶ τὸν Λυγκέα.* 95, 14 *τῆς δὲ λείας μέρος εἰς Δελφοὺς πέμπουσι — καὶ τὴν Τειρεσίου θυγατέρα Μαντώ.*

Hanc, quam adhuc exposui, scribendi rationem ut plane perspicias, exemplum apponam 76, 22 sqq. *τοῦτον μὲν ἐξηγρίωσε, Πασιφάην δὲ ἐλθεῖν εἰς ἐπιθυμίαν αὐτοῦ παρεσκεύασε. ἡ δὲ ἐρασθεῖσα τοῦ ταύρου συνεργὸν λαμβάνει Δαίδαλον, ὃς ἦν ἀρχιτέκτων πεφευγὼς ἐξ Ἀθηνῶν ἐπὶ φόνῳ· οὗτος ξυλίνην βοῦν ἐπὶ τροχῶν κατασκευάσας, καὶ ταύτην βαλὼν καὶ κοιλάνας ἔσωθεν, ἐκδείρας τε βοῦν τὴν δορὰν περιέρραψε καὶ θεὶς ἐν... ἡ δὲ Ἀστ... ἐγέννησε... οὗτος εἶχε... κτέ.*

Interdum invenies, bibliothecae auctorem constructionem verborum antea institutam mox omisisse, quam rem sic optime explicaveris, ut animo materiae copia abstracto neglegenter eum scripsisse dicas. Afferam duo eius generis exempla 85, 1 *καὶ γήμας θυγατέρα Μενοίκεως, ἣν ἔνιοι μὲν Ἰοκάστην, ἔνιοι δὲ Ἐπικάστην λέγουσι, χρήσαντος τοῦ θεοῦ μὴ γεννᾶν (τὸν γεννηθέντα γὰρ πατροκτόνον ἔσεσθαι) ὁ δὲ οἰνωθεὶς συνῆλθε τῇ γυναικί.* Similiter 58, 10 *χρησμῶν δὲ λε-*

γόντων ἀπαλλαγὴν ἔσεσθαι τῶν συμφορῶν, ἐὰν προθῇ Λαομέδων Ἡσιόνην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ βορὰν τῷ κήτει, ὁ δὲ προὔθηκεν[1]). Sed hanc rem non longius persequar, ne incidam in vituperationem, quod librariorum errores tribuerim epitomatori.

Animadvertendae sunt etiam frequentes vocabulorum quorundam repetitiones, quae, quanquam facile vitari poterant, orationem reddunt molestam. Hercherus quidem in editione, quam nuper edidit, plurimas harum repetitionum coniecturis studet removere, sed nescio, an epitomatorem facile potuerint fugere animo a scribendi diligentia saepe aberrante. 75, 20 *Κάδμος δὲ καὶ Τηλέφασσα ἐν Θράκῃ κατῴκησαν· ὁμοίως δὲ καὶ Θάσος ἐν Θράκῃ κτίσας πόλιν Θάσον κατῴκησεν.* 41, 31 *καὶ αὐτοῦ Σθενέβοια ἔρωτα ἴσχει καὶ προσπέμπει λόγους περὶ συνουσίας· τοῦ δὲ ἀπαρνουμένου λέγει πρὸς Προῖτον, ὅτι Βελλεροφόντης αὐτῇ περὶ φθορᾶς προςεπέμψατο λόγους.* 76, 15 *καὶ Ποσειδῶνι θύων ηὔξατο ταῦρον ἀναφῆναι ἐκ τῶν βυθῶν, ὑποσχόμενος καταθύσειν τὸν φανέντα· τοῦ δὲ Ποσειδῶνος ταῦρον ἀνέντος αὐτῷ... ἔθυσεν ἕτερον· ὀργισθεὶς δὲ αὐτῷ Ποσειδῶν, ὅτι μὴ κατέθυσε τὸν ταῦρον...*

Haec omnia, quae attuli, multo certius epitomatoris manum indicare mihi videntur, quam argumenta eorum, qui ex locis ab aliis scriptoribus citatis demonstrare volunt, bibliothecam nostram esse epitomen. Neque argumenta maioris momenti ad huc contra sententiam nostram prolata sunt, nisi forte Galei observationem mihi opponis, qui p. 38 praef. „Mecum

[1]) Aliter Hercherus in Philol. 6. p. 574.

sentiet", inquit, „qui repetitiones, transitiones animadvertet, qui consideret, multis in locis *αὐτο προσώπως* loqui Apollodorum, veluti *περὶ ὧν ἐροῦμεν* [1]). Recte Funkius nullo iure ait Galeum has formulas contra eos proferre, qui epitomen esse bibliothecam putent. Ipse eas translatas esse arbitratur ab eo, qui Apollodori opus in hanc formam redegit. Forsitan hae formulae ab ipso epitomatore profectae sint, qui eas addidit, cum ordinem rerum in genuino opere tractatarum commutaret.

[1]) 5, 15. 6, 31. 13, 1. 35, 18. 36, 3. alia multa.

Caput II.

De ratione, quae inter epitomen nostram et Apollodori scripta intercedat.

§ 1. Postquam priore capite sententiam eorum, qui blibliothecam nostram epitomen esse putant, novis argumentis confirmavi, iam mihi quaerendum est, ex quibus Apollodori scriptis haec epitome facta sit. Qua de re quid Tanaqu. Faber et alii, quid deinde Clavierus, quid Welckerus et Funkius iudicarent in eis, quae praecedunt, perstrinxi. Ac primum quidem sententia eorum, qui bibliothecam nostram ex Apollodori libro aliquo, cui titulus esset inscriptus „*Βιβλιοθήκη ἢ περὶ θεῶν*" excerptam esse putabant, a Galeo egregie refutata est.[1] Clavierus[2] deinde bibliothecam nostram eorum Apollodori librorum epitomen esse dicit, quibus fabulae Graecorum fuerint tractatae. Welckerus, quem sequitur Funkius, Apollodorum composuisse epicum cyclum arbitratur, cuius bibliotheca nostra sit epitome.

[1]) conf. I § 4.

[2]) Apoll. bibl. praef. p. IV—V (abrégée de ceux oeuvres) qu'il avait faits sur la Mythologie et Histoire héroique, tels que son Traité sur les Dieux, son Commentaire sur la catalogue des vaisseaux et sa Chronique.

Haec Welckeri sententia iam eo refutatur, quod nullum ad nos pervenit antiquorum scriptorum testimonium, quo fuisse Apollodori epicum cyclum testantur. Nec, qua erat Apollodorus auctoritate, fieri potuit, quin, si epicum cyclum conscripsisset, interdum alii scriptores mentionem eius facturi fuerint.

Sed iam, quae mea de hac re sententia sit, exponam. Ac primum quidem inquiramus in epigramma quoddam, quod bibliothecae praescriptum fuisse Photius testatur loco supra allato [1]. Pergit ibi Photius sic: *ἔχει δὲ καὶ ἐπίγραμμα τὸ βιβλιοδάριον οὐκ ἄκομψον τόδε·*

Αἰῶνος σπειρήματ' [2] *ἀφυσσάμενος ἀπ' ἐμεῖο*
παιδείης μύθους γνῶθι παλαιγενέας
μήδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε, μήδ' ἐλεγείην
μὴ τραγικὴν μοῦσαν, μηδὲ μελογραφίην.
μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρουν στίχον. εἰς ἐμὲ δ' ἀθρῶν
εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Primi hexametri constructio ab aliis aliter explicata est. Ac Salmasius quidem *αἰῶνος* in *αἰώνων* mutato coniungit *σπειρήματα αἰώνων*, quod Muellerus vertit „saeclorum seriem nostra si legeris arte". Sed, quid sibi velit illud *παιδείης* et de quo verbo pendeat, non apparet. Heynius deinde et Welckerus coniungunt *σπειρήματα παιδείης αἰώνων*, quod Heynius vertit „hauriens eruditionis antiquitatis orbem, disce ex me veteres fabulas." Sed num fieri possit, ut *αἰώνων* significet „antiquitatis", dubito. Itaque aliam propono interpretationem. Videtur *παιδείης* pro *adiectivo* usurpatum cum voce *αἰῶνος*, quam codices praebent, coniungen-

[1]) I § 3.
[2]) cod. *σπείρημα*. correxit Salmasius.

dum esse. Haec verba a *σπειρήματα* pendent, quod praegnanter, ut ita dicam, significare verisimile est „orbis *institutionis*", ita ut sententia loci sit: „qui institutionis puerilis orbe vis imbui a me, iam cognoscas fabulas antiquas. Quarum notitiam ne collegeris ex poëtarum carminibus, cum apud me reperias, quidquid scire opus est" [1].

Mirum est, quod homines docti fere omnes illud *ἀπ' ἐμεῖο* plane neglexerunt. Haec verba, quancunque accipis epigrammatis interpretationem, certissime indicant, epitomen nostram quondam maioris fuisse voluminis [2]. Apparet enim, eam non continere ea, quae epigramma indicat, omnes disciplinas, quibus pueri instituebantur. Deinde hanc ampliorem epitomen in usum scholarum esse conscriptam apertum est, id quod iam ex Photii verbis *σύνοψις δ'ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου οὐκ ἄχρηστος τοῖς τὰ πολλὰ ἐπὶ μνήμης ἔχειν λόγων μεταποιουμένοις* suspicari licebat.

§ 2. Jam transeamus ad alterum Photii locum, qui, quod sententiam eius homines docti non recte intellexerunt, ad solvendam quaestionem nondum est adhibitus. Exstant enim apud Photium cod. 161 haec:

[1]) Hac interpretatione argumentum eorum imminuitur, qui comparatis Photii verbis *σύνοψις δ'ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου* et *ἀνεγνώσθη μοι βιβλιοδάριον* cum epigrammate demonstrare volunt, bibliothecam esse epitomen. Illa Photii enim verba ad librum, quem nunc habemus, spectare dicunt, epigramma ad epicum cyclum, ex quo bibliotheca sit excerpta [conf. Funk. p. 29, sqq.] Robertus p. 8 ullo iure defensores huius sententiae epigrammate uti negat, quippe quod paullo gloriosius, non iam opus esse poëtarum carminibus praedicet.

[2]) Nam Heynii quoque versionem „hauriens eruditionis antiquitatis orbem disce ex me veteres fabulas" commutandum esse in „hauriens ex me eruditionis ant. orbem, disce . . ." apparet.

Σωπάτρου ἐκλογαὶ διάφοροι ἐν βιβλίοις δυοκαίδεκα. — συνείλεκται δὲ αὐτῷ τὸ βιβλίον ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων ἱστοριῶν καὶ γραμμάτων. τὸ μὲν οὖν πρῶτον περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι μυθολογουμένων θεῶν διαλαμβάνει· ὃ συνείλεκται ἐκ τῶν Ἀπολλοδώρου περὶ θεῶν γ' λόγου. Ἀθηναῖος δὲ Ἀπολλόδωρος καὶ γραμματικὸς τὴν τέχνην. οὐκ ἐκ τοῦ τρίτου δὲ μόνον ἡ διαλογὴ αὐτῷ πεποίηται, ἀλλὰ δὴ καὶ ἐκ τοῦ δ' καὶ ε' καὶ θ' τοῦ τε ια' πάλιν καὶ ιβ' καὶ ιε' τε καὶ ιζ' μέχρι τοῦ κδ'. ἐν ᾗ συλλογῇ τά τε μυθικῶς περὶ θεῶν διαπεπλασμένα καὶ εἴ τι καθ' ἱστορίαν εἴρηται περιείληφε, περί τε τῶν παρ' αὐτοῖς ἡρώων καὶ Διοσκούρων καὶ περὶ τῶν ἐν Ἅιδου καὶ ὅσα παραπλήσια.

In his enim verbis primo oculorum obtutu suspicionem commoveat necesse est illud *ὃ συνείλεκται ἐκ τῶν Ἀπολλοδώρου περὶ θεῶν γ' λόγου. Ἀθηναῖος δὲ Ἀπολλόδωρος . . . . καὶ γραμματικὸς τὴν τέχνην. οὐκ ἐκ τοῦ τρίτου δὲ μόνον ἡ διαλογὴ αὐτῷ πεποίηται, ἀλλα δὴ καὶ ἐκ δ' καὶ ε' καὶ . . . μέχρι τοῦ κδ'*. Nam ineptum est, quod Photius, cum Sopatrum ex tertio Apollodori libro operis *περὶ θεῶν* epitomen fecisse dixerit, hoc corrigit, cum dicat, non ex tertio solo, sed ex omnibus fere libris epitomen esse factam. Deinde inter has duas periodos, *ὃ συνείλεκται ἐκ . . .* et *οὐκ ἐκ τοῦ τρίτου δὲ μόνον . . .*, male insertum est *Ἀθηναῖος δὲ Ἀπολλόδωρος καὶ γραμματικὸς τὴν τέχνην*. Verba igitur *οὐκ ἐκ τοῦ τρίτου δὲ μόνον* etc. glossema esse, quod ex margine in textum irrepsit, iam ex inusitata collocatione satis apparet. Nec falli mihi videor, dum haec verba ab homine docto ad illud *ὃ συνείλεκται ἐκ τῶν Ἀπολλοδώρου...* adnotata esse puto. Qui, cum epitomen non solum ex tertio, sed etiam ex aliis libris factam esse novisset, hos libros margini adscripsit.

Sed haec verba *ὃ συνείλεκται κτἑ* aperte corrupta sunt, nec significant id, quod ille homo putabat. Littera *γ'* enim non ordinalem numerum, sed cardinalem significari inde satis apparet, quod articulus deest. Itaque eiectis verbis *οὐκ ἐκ τοῦ τρίτου . . . . . μέχρι τοῦ κδ'*, verba *ὃ συνείλεκται ἐκ τῶν Ἀπολλοδώρου περὶ θεῶν γ' λόγου* in *περὶ θεῶν ἐν γ' λόγοις* muto, quae verba interpretor: „(liber primus epitomarum), qui continebat epitomen ex Apollodori libris *περὶ θεῶν* factam trium librorum". Quod vocem *ἐν* inserere non dubitavi, coniectura non nimis difficilis esse videbitur, si reputaverimus, litteras *εν* inter *θεῶν* et *γ* facile potuisse intercidere.

§ 3. Ex hoc loco id primum apparet, fuisse epitomen Apollodori *περὶ θεῶν* librorum. Deinde, si certa via ac ratione ad coniecturam meam videor progressus esse, hanc epitomen fuisse trium librorum. Neque dubitandum est, quin hi libri tres e libello *περὶ θεῶν* excerpti nostra sit epitome. Sed hanc epitomen partem modo esse compendii illius, quod bibliotheca Apollodori inscriptum erat, prima huius capitis paragrapho exposui. Ergo suspicari licet, etiam aliorum Apollodori scriptorum epitomas esse factas, quae librorum *περὶ θεῶν* epitomae essent additae. Deinde, cum has epitomas in usum scholarum compositas esse verisimile sit, id quod supra exposui, epitomator ex eis Apollodori scriptis librum suum conscripsisse videtur, quibus res erant tractatae, quas pueros docebant; idque ita, ut primum locum epitome trium librorum ex libris *περὶ θεῶν* facta obtineret, huic adiungeretur altera fortasse e chronicis, tertia e libris *περὶ γῆς* facta. His epitomis in unum coniunctis et titulum Apollodori bibliothecae et epigramma illud praescripserunt. Huius autem bibliothecae pars prima,

epitome trium librorum e libris περὶ θεῶν facta cum epigrammate et titulo ad totum compendium spectantibus ad nos pervenit.

§ 4. In prima paragrapho huius capitis dixi, esse, qui bibliothecam nostram epitomen esse ex eis libris factam putarent, quibus fabulae Graecorum fuissent tractatae. Negat hoc Robertus et ostendere studet, fieri non posse, ut bibliotheca aut ex libris περὶ θεῶν aut e chronicis sit excerpta. Apparet, ea, quae Robertus adversus illorum sententiam protulit, non minus valere ad meam, qui bibliothecam ex solis libris περὶ θεῶν excerptam esse contendo. Hac de causa ad ea, quae protulit Robertus, paucis respondere mihi opus est.

Apollodorum stoicorum disciplinam secutum ipsum quoque magna fuisse auctoritate in praefatione exposui. Stoici autem vulgares de deis opiniones aut ad physicam rationem aut ad res vitae humanae utiles ac necessarias revocare solebant, aut denique antiquissimi temporis viros pro praeclaris meritis ab hominibus pro deis habitos esse docebant [1]. In bibliotheca nihil physicae interpretationis, nihil veriloquii; ubi ritus sacri exponendi sunt, neque ad physiologiam confugitur, neque ad etymologiam, quam dicunt, sed historiola narratur. Sic Robertus. Hanc rationem Apollodorum in genuino opere secutum esse verisimile est, sed sententia mea Roberti argumentatione non evertitur. Satis enim hanc discrepantiam declarari puto ex diverso consilio, quod Apollodorus in opere suo περὶ θεῶν conscribendo, epitomator in hoc opere excerpendo secutus est. Ille enim revera opus conscripsit, quod in litteris versabatur, id quod ex fragmentis,

[1]) Cic. de nat. deor. II 23, 60. 26, 66. Zeller, die Philosophie der Griechen III p. 111.

quae ad nos pervenerunt permulta, luculenter apparet. Quibus non solum historiolae narrantur, sed auctor ante omnia id sibi proposuisse videtur, ut de festis deorum et sacris, de sacrorum antiquitate, de religionibus et ritibus, de vocabulis sacrorum, unde ducenda essent, dissereret. Sed hanc operis partem ad litteras spectantem in Sopatri epitomen transiisse diserte negat Photius loco illo bibliothecae suae paragrapho tertia huius capitis allato, cum dicat ἐν ᾗ συλλογῇ τά τε μυθικῶς περὶ θεῶν διαπεπλασμένα καὶ εἴ τι καθ᾽ ἱστορίαν εἴρηται περιείληφεν. Exscripsit igitur Sopater, quem bibliothecam nostram composuisse censeo, fabulas; idque suo iure; nam Sopater compendium voluit componere, ex quo pueri primam fabularum cognitionem haurirent, ut instructi scientia quadam rerum ad poëtarum lectionem accederent. Idcirco Sopater fabulas aliter non potuit describere, nisi ita, ut doctis omissis disputationibus praeceptisque philosophorum simplicissima uteretur oratione et eas, quales in ore hominum versatae a poëtis erant descriptae, narraret. Ut unum afferam exemplum, Apollodoro in libro suo licuit de Pane disputare, cui patrem non tribuit, quod ei τὸ πᾶν esset adtributum [1]. Haec disputatio in Sopatri excerpto locum non habuit [2], cum carmina, quae Iovem et Thymbridem Panis parentes celebrabant, sequi deberet.

Quae deinde paullo post Robertus affert [3], quibus nonnullos bibliothecae locos Aristarchi quibusdam praeceptis et sententiis repugnare docet — velut Aristar-

[1]) Servius ad Verg. Georg. I 16 p. 174.
[2]) bibl. 7, 25.
[3]) de Apoll. bibl. p. 22.

chum in conclamata illa quaestione, quid *σήματα λυγρά* essent, de litteris cogitari vetuisse [1], bibliothecae auctorem fabulam ita enarrare, ut eum de litteris loqui apparet [2] — ne hoc quidem magni est momenti. Quamquam enim Aristarchi praeceptoris viam ac rationem studiorum exercendorum Apollodorum secutum esse verisimile est, quid impedit, quominus statuamus, in singulis quaestionibus ab Aristarchi sententia eum discessisse? [3] Alia, quae profert Robertus argumenta, ratione, qua Sopater in excerpendo usus est, redarguuntur. Apud Harpocrationem sub verbo *αὐτόχθονες* exstant haec: *Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ θεῶν κληθῆναί φασιν αὐτοὺς* (sc. *τοὺς Ἀθηναίους*) *αὐτόχθονας, ἐπεὶ τὴν χθόνα τουτέστι τὴν γῆν ἀργὴν οὖσαν πρῶτοι εἰργάσαντο· οἱ δὲ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐπήλυδας. ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ τὴν Δαναΐδα πεποιηκώς φασιν Ἐριχθόνιον καὶ Ἥφαιστον ἐκ γῆς φανῆναι κτέ.* Negat hic Apollodorus, vocem *αὐτόχθων* significare posse eos, quos e terra editos esse putent. Nihilo minus in bibliotheca invenimus 94, 17 *Πελασγόν, ὃν Ἀκουσίλαος μὲν Διὸς λέγει καὶ Νιόβης — Ἡσίοδος δὲ αὐτόχθονα.* 112, 23 *τοῦτον* (*τὸν Ἀμφικτύονα*) *ἔνιοι μὲν Δευκαλίωνος, ἔνιοι δὲ αὐτόχθονα λέγουσιν.* Idem vox *αὐτόχθων* aliis locis significat. Quae elegerat Sopater ex Apollodori libello, non illius verbis eum descripsisse, sed summam eorum suis usum verbis dedisse, ex Sopatri dicendi genere, quod supra explanare ausi sumus, luculenter apparet.

[1]) Schol. in Hom. Z 168. 176. Lehrs. Arist. p. 104.
[2]) bibl. 42, 2.
[3]) Velut Homerum vixisse secundum Aristarchi rationem c. 1043 a. Ch., secundum Apollodori c. 943 notum est. Tatian. adv. Graec. 49. Clemens, Strom. I p. 388. Sengebusch, diss. Hom. I p. 6.

Quo factum est, ut dictiones epitomae immiscerentur, quae aliis locis ipse Apollodorus impugnat.

Apollodorum nomen Oleni, fabulosi cuiusdam oppidi in Aetolia vel Arcadia siti, genere adhibuisse masculino accepimus ex Steph. Byz. s. v. *Ὤλενος. Ἀπολλόδωρος δὲ ἀρσενικῶς αὐτήν φησιν ἐν ὀγδόῳ τοῦ νεῶν καταλόγου. τὸν Ὤλενος κτέ.* In bibliotheca autem legimus 18, 30 *Ὠλένου πολεμηθείσης.* Epitomator illam Apollodori sententiam vix noverat aut memoria tenebat, cum haec verba describebat.

Denique Castoris mentionem 36, 19 propter hominis aetatem in Apollodori opere *περὶ θεῶν* fieri non potuisse obicit Robertus [1]. Castor, qui fuit Pompei temporibus, chronica conscripsit, quae usque ad Ol. 179, 4 deducta fuisse testatur Eusebius. Expungere Castoris commemorationem qui studeant, eis, si quidem via ac ratione procedere velint, una totum enuntiatum evellendum esse exponit Robertus. Reiecti enuntiato tragicorum mentionem, quae tum exstinguatur, etiam duobus aliis locis 40, 12. 25 esse tollendam. His tribus reiectis locis non solum 40, 13 Cecropis et *τῶν νόστων* poëtae mentionem esse tollendam, quae a poëtis tragicis seiungi non possit, sed etiam narrationem fieri abruptam.

Castoris mentionem in ipsius Apollodori libris *περὶ θεῶν* fieri non potuisse apparet. Sed non est, quod negemus, nomen Castoris aut ab ipso epitomatore addi, aut ex margine in textum illatum ab homine aliquo docto constructioni iniungi potuisse. Ceterum hos locos, quibus diversae multorum auctorum conge-

[1]) de Apoll. bibl. 26, sqq.

runtur sententiae, meo iure suspectos habeo[1]. Nam cum plerumque Apollodorus unam sententiam omissis reliquis afferat, paucos illos locos, quibus permagnum harum rerum apparatum edit, insiticios esse suspicandum est. Praeterea ipsa libelli dispositio hominibus copiam dedit doctrinam ostentandi, nec veri est dissimile, eos multas margini adscripsisse adnotationes. Hoc recte iudicare mihi videor propterea, quod nonnunquam ab aliis scriptoribus loci ex bibliotheca citantur omissa sententiarum variatione. Confer Schol. ad Il. II, 103, ubi bibliothecae 36, 27 — 37, 13 exscriptum est omissis verbis, *ὃν Φερεκύδης μὲν Ἀρέστορος λέγει, Ἀσκληπιάδης δὲ Ἰνάχου, Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσώπου θυγατρός. Ἀκουσίλαος δὲ γηγενῆ αὐτὸν λέγει· οὗτος ἐκ τῆς ἐλαίας ἐδέσμευεν αὐτήν, ἥτις ἐν τῷ Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει.* Deinde Schol. ad Il. I, 42, ubi inveniuntur bibliothecae 37, 30 — 32 omissis verbis *ὡς δέ φησιν Εὐριπίδης καὶ Κηφεὺς καὶ Φινεὺς προσέτι.*

Eodem modo, quamvis magna sit dissimilitudo librorum Apollodori ac bibliothecae nostrae, plane eam explicare possumus et ex diversis, quae sequebatur uterque auctor, consiliis et ex ratione, qua epitomator in excerpendo versatus est.

---

[1]) Aliter de hac re Robertus, de Apoll. bibl. p. 55.

VITA.

Natus sum Otwinus Ewaldus Haeniche a. d. VII Cal. Jan. anni LII in oppidulo, nomine Gross-Oschersleben, patre Christ. Henr., cuius subita morte animus recenti adhuc dolore gravissime est afflictus, matre Carolina, de gente Jacobi. Litterarum rudimentis imbutus inde ab anno LXV gymnasium Wernigerodense frequentabam, deinde triennio post mensibus VI deficientibus Portam receptus sum. Ubi Peteri auspiciis, Kobersteinii, viri clementissimi, curae commendatus, ad litteras incubui. Ineunte anno LXXII maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli, ut studia et theologica et philologica exercerem. Quorum haec Gottingae, deinde Halis continuavi. Scholas audivi praecipue Ritschelii, Curtii, Sauppii, Wachsmuthii, Benfei, b. Bernhardyi, Keilii, Duemmleri, Hertzbergii, Droyseni, Erdmanni. Proseminarii Gottingensis auspiciis Sauppii et Wachsmuthii sodalis fui per semestre tempus, seminarii Halensis b. Bernhardyi et Keilii auspiciis per ter senos menses. Praeterea mihi contigit Duemmleri benevolentia, ut societati historicae, Dittenbergeri, ut philologicae per VI menses interessem. Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

Aristot. περὶ ποιητικῆς IV, 5.

Hermanni coniectura οὐχ ᾗ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονήν probanda, sed εἰκών subiectum verbi ποιήσει ex eis, quae praecedunt, repetendum est.

II.

Varro, de ling. Lat. V, 10.

Scribendum est: Quorum partim, quae non invenerim, ut opiner, scribam.

III.

Aeschyl. Agam. 289.

ὤτρυνε θεσμὸν μὴ χαρίζεσθαι ξύλων.

IV.

Pugnam ad Sellasiam commissam esse anno 221 cum Petero statuo.



QUEDLINBURGI, TYPIS GODOFREDI BASSI.